


Christian Ohm Johannes Schröder

Disputatio Iuridica De Servitutibus Urbanorum Et Rusticorum Praediorum

Rostochi[i]: Pedanus, 1622

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730898156>

Druck Freier  Zugang



Ohm - Schröder - Vert.

Jan. 1622.

16

4
39
Disputatio Juridica

DE

SERVITUTI-
BUS URBANORUM
ET RUSTICORUM
PRÆDIORUM, ← *re h. d.*

Quam

D. O. M. A.

*Consensu & autoritate Amplissimi J. C. torum
ordinis in celeberrima Rostochiensis
Academia*

P R E S I D E

Viro Clarissimo & Consultissimo

DN. CHRISTIANO 


J. U. D.

Publicè defendet

JOHANNES SCHRÖDER

Hervord. Westph.


In auditorio majori ad diem Februarij.



R O S T O C H I

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ.

ANNO M. DC. XXII.



V I R O

Consultissimo, Prudentissimo,

Dn. HEINRICO Garwich/ Senatoria

*authoritate, in Republica quæ est Hervordia bene
constituta, Spectatissimo, meri-
tissimo.*

NEC NON

V I R I S

*Spectatissimis, virtutum, doctrinarum,
rerumq; laude præstantissimis,*

Dn. HERMANNO Fürstenow /

Dn. ANTONIO Fürstenow /

Dn. FRANCISCO Barchhausen/

*Fratribus utriusq;
conjunctis.*

*Reipub. Hervord. civibus primarijs,
Musarumq; patronis.*

*Dominis Mæcenatibus, fautoribus & promot-
ribus, omni observantia cultu perpetuo
solendis & prosequendis,*

hocce Juris exercitium

*in debita observantia tesseram
officiosè*

offert, dicat, consecrat

JOHANNES SCHRÖDER
A. & R.





Præambulum.

PRæter alias rerum divisiones, quædam sunt & dicuntur corporales: quædam incorporales, l. i. de Rer. divis. huc referuntur servitutes: quæ duplices, vel personales, vel Reales seu prædiales. l. i. de servit. Ista projecto pede transgredientes, has thesibus brevibus comprehensas disputationis loco proponere constituimus.

THESIS I.

St autem servitus (a) cujus in præsentate disputatione fit mentio, jus (b) quoddam, quo prædium contra naturam prædio (c) ad ejus utilitatem (d) dominiq; commoditatem (e) cum juris sui diminutione servit. (f)

(a) Dicitur hæc à serviendo non à servando: Illa enim res & fundos: hæc homines eorumq; statum quatenus alieno dominio subjacent, respiciunt Vult. ad princ. Inst. de S. V. & R. P.

(b) §. fin. Inst. de Reb. corpor. & incorpor. l. 2. l. 6. ff. de S. V. P. l. 1. §. quædam de Rer. divis. (c) quod in rusticis debet esse vicinum, in urbanis non item l. qui sella 7. §. in Rusti-

cis. 1. ff. de S. R. P. l. 38. de S. V. P. l. 14. in fin. de servit. l. quoties 15. eod. l. 34. de S. R. P. (d) nisi enim pradij dominantis utilitatem respiceret non posset constitui servitus d. l. Quoties. Capol. tracta. de S. V. P. c. 2. (e) l. de servitutibus 2. §. Hæc autem, si servit. vindic. (f) l. stipulatio ista 38. §. si quis ortè de V. O.

II.

Hæc in urbanam & rusticam dividitur, (a) neq; hæc divisio ex loci, sed materiæ & usus qualitate est desumenda (b)

(a) *l. 1. de servit. t. t. Inst. de S. V. & R. P. Rubr. ff. commun. pradior. (b) l. 1. ff. eod. l. urbana pradia 198. de V. S. Gæd. ibid. & urbana pradia, non solum ea, quæ in oppidis, sed etiam quæ vel habitationis, voluptatis aut amantatis quocunq; etiam locorum fabricata & exstructa sunt, accipimus. Joh. Calvi. in Medul. lex. jurid. in verb. urbana prad. Rustica vero non tantum fundi, sed etiam adificia sive in civitate, sive extra, ad usum pecorum, aut fructuum conservandorum gratia facta Capol. d. t. de S. V. P. c. 11. n. 2.*

III.

Hinc illa nodosa sese offert quæstio: Num utraq; harum servitutum causam perpetuam continuamq; habere debeat. (a)

(a) *Aff. per l. foramen. 28. de S. V. P. quamvis continuam possessionem non semper habeat l. 14. in princ. de servit. Resenb. parat. ff. ibidem.*

IV.

Prorumpit & alia: Quomodo dignoscatur

tur servitus, si urbanum rustico, & rusticum urbano serviat; priori casu rusticam, posteriori urbanam dicimus servitutum, Ad dijudicandam enim qualitatem cujusq; servitutis inspiciendum illud cui servitus debetur, non res quæ servitutum debet, *qui servit*
Vult. ad tit. Inst. de S. V. & R. P. & servitus denominatur à prædio dominante cui debetur à digniori Capol. d. t. de S. V. P. c. 11. n. 10.

V.

Species, urbanorum prædiorum servitutum, hæ ferè in jure nostro recensentur: Servitus altius tollendi, luminum & ne luminibus officiat, prospectus & ne prospectui officiat, stillicidij vel fluminis avertendi & non avertendi, tigni immittendi, oneris ferendi, projiciendi, protegendi, cloacæ, positum non habendi, *l. 2. & seqq. de S. V. P. Wes. parat. ibid. Capol. d. t. de S. V. P. c. 25.*

VI.

Est igitur servitus altius tollendi, jus quo vicinus noster tenetur altius ædes suas tollere. (a) Altius non tollendi, quo vicino ædificium suum altius ædificare invito vicino non licet. (b)

A 3

(a) Borch

(a) Borch. Inst. de S. V. & R. P. l. 2. de S. V. P. idq̄ propter ventos, aspectum, umbram &c. nostra enim saepe interest ut vicinus suam domum eleuet & luminibus officiat Capol. d. t. de S. V. P. c. 26. §. eq̄ Inst. de Actionib. l. etsi 26. de except. rei judicat. (b) d. l. 2. de S. V. P. l. altius. 8. C. de servit. & aqua; viridaria tamen qua edificij nomine non continentur supra praescriptam altitudinem nisi de servitute prospectus sit actum, collocare quis potest ut est textus in l. aedificia 12. de S. V. P. aliud enim est aedificare, aliud altius tollere. Cap. d. t. c. 27. n. 2.

VII.

Servitus luminum est jus quo vicinus lumina (a) nostra excipere debet. (b) Ne luminibus officiat quo vicinus luminibus nostris nequaquam officere potest. (c)

(a) Lumina; id est fenestras quibus caeli lumen hauritur, & lumen, id est ut caelum videatur l. 16. de S. V. P. (b) l. 4. eod. Unde si vicinus lumen habeat nullum, qui hanc debet, cum propria sua rei demolitione & depositione pati tenetur quo hoc consequatur, quia id tacite concessum videtur, sine quo servitus consistere nequit. l. ad rem mobilem. 56. juncta. l. ad legatum 62. de procurat. & defensor. (c) d. l. 4. de S. V. P. Differunt haec dua inter sese. Nam qui debet servitutem luminum mihi, potest altius aedificare, dummodo servet tantum lumen, quod mihi sufficiat: Sed ille qui debet ne luminibus officiat, nihil potest facere, quo de lumine quod habeo diminuatur, servitus itaq; ne luminibus officiat plus habet in se, quam lumen Capol. d. t. de S. V. P. c. 35. Differt item hac a servitute altius non tollendi tanquam Genus a specie Matth. Stepha. Instit. 2. Cent. Quast. 25. In servitute altius non tollendi, nihil aliud

aliud inest, quam ne vicinus alius adificet, servitate ne luminibus officiatur constituta, vicinus non modo adificando, luminibus nostris officere non poterit, sed ne ullum quidem aliud impedimentum inferre. l. inter servitudes. 15. de S. V. P. Wesenb. parat. ff. eod. Nam & qui deprimit, officit quandoque luminibus nostris. l. 17. §. 2. eod.

VIII.

Servitus prospectus est jus quo vicinus nobis gratiorem prospectum præstare tenetur. (a) Ne prospectui officiat, quo vicino nostrum prospectum gratiorem, minus gratiorem & liberum reddere non licet. (b)

(a) Non quidem ut cælum videamus, sed ut fenestrâ vel aliquo simili claritas cæli ad nos perveniat. secund. Azon. in summa C. de servit. & aqua. Differt hæc à servitute luminum, habens enim servitutem prospectus, minorem habet commoditatem, quam is qui habet servitutem luminum, Capol. d. i. de S. V. P. c. 30. & 34. (b) l. inter servitudes. 15. de S. V. P. & hæc debetur vel in genere nullo habito respectu ad certum locum, vel in specie habito respectu ad certam domus partem; priori modo hæc plus continet quam servitus ne luminibus officiat. l. 15. ff. de S. V. P. posteriori plus continet servitus ne luminibus officiat. Capol. d. r.

IX.

Servitus stillicidij vel fluminis (a) avertendi est jus quoddam debitum prædio nostro, quo aquam pluvialem à tecto nostro guttatim cadentem, vel è canale cum
impe-

impetu ferentem, super tectum, aream, vel alium locum vicini nostri avertere & derivare possumus, (b) stillicidij vel fluminis non avertendi, quo vicino stillicidium vel flumen suū quod habet super domum nostram in suam aream non licet derivare. (c)

(a) Rectè sejunguntur hæc servitutis species, sunt enim diverse l. 20. §. 5. de S. V. P. §. 1. Inst. de S. V. & R. P., Theoph. eod. stillicidium enim ex tectis, flumen ex canalibus labitur. Wes. parat. ff. de S. V. P. n. 6. Johan. Calvi. in Medul. lex. jurid. in vocab. stillicidium. gravior itaq; fluminis quam stillicidij servitus. (b) Borch. Inst. de S. V. & R. P. qui hanc acquisitionem habet potest elevare non deprimere adificium, l. 20. §. 5. de S. V. P. (c) eod. pacto cisterna nostra juvatur aliena minuitur vel horti nostri irrigantur Capol. d. t. c. 29.

X.

Servitus tigni (a) immittendi est jus quo tignum licet immittere super parietem vicini, ut in utroq; prædio tam dominante quam serviente acquiescat. (b) Servitus oneris ferendi est jus quo vicinus inferior, onera domus superioris aliquo pariete sive columnâ sustinere cogitur. (c)

(a) Tignum à tegendo dictum l. 1. §. tigna. 1. ff. de tigno juncto. & tigni appellatione continetur omnis materia ex qua adificium constat. d. l. 1. §. 7. ff. ad. exhibend. l. tigni. 62. de V. S. quamvis propriè pro trabibus, quibus domus tegitur accipiatur
Wes.

Wes. parat. ff. de S. V. P. n. 7. (b) l. Hoc quod dictum 25. l. 20. in princ. ff. de S. V. P. l. Malum 242. §. inter projectum 1. de V. S. & De. Gædd. ibidem. An vero dominus qui non debet servitutem hanc, propria auctoritate immissum in suum parietem tignum tollere & eximere possit; dubitatur. Nos Affir. argumento l. Adeo 7. §. ex diverso. 12. de Acquir. rer. domin. §. 31. Inst. de rer. divis. Obiter & hac quaestio hic occurrit. An confinis noster, arborum nostrarum ramos & frondes, super solum suum pendentes, propria auctoritate, nisi prius nobis denunciaverit, abscindere possit; & dicimus quod non, argumento. l. 1. in princ. ff. de arborib. cadend. l. unica, C. Ne quis in sua caus. l. extat 13. ff. Quod met. causa. (c) l. eum debere columnam 33. de S. V. P. differt hac à servitute tigni immittendi, Nam habens jus tigni immittendi non potest cum vicino agere ut parietem reficiat d. l. At habens servitutem oneris ferendi hoc potest idq. speciale est l. et si forte. 6. §. etiam, l. 8. in princ. ff. si servit. vendicet. Wes. Inst. de S. V. & R. P.

XI.

Servitus projiciendi (a) protegendi (b) est jus quo ex prædio nostro urbano licet super vicini aream habere projectum. (c) Servitus cloacæ (d) est jus quo sordes & immunditias in aut per alterius ædes derivare possumus. (e) Servitus positum non habendi, est jus quo vicino non licet aliquid in aliquo loco ponere, quod quoquo modo nostro prædio nocere possit. (f)

(a) *Projectum* Latonius Marcel. referente Job. Calv. in *Medul. lex. jurid. interpretatur longè jactum & extensum*

B

ut

est Maniana quas vernacula lingua arces vel potius arceras
vocamus *Wes. parat. ff. de S. V. P. n. 8.* (b) Aprotectendo di-
ctum, quia hujus gratia projecimus ut stillicidia à parietibus
nostris arceamus hac protecta suggrunda vel suggrunda vocan-
tur: Indiscriminatim tamen in jure nostro protectum & pro-
jectum usurpantur, projectum licet interdum latius quid signi-
ficet. Ut not Gothof. in l. si vero. 5. §. prator ait. 6. ff. de his
qui dejec. vel effud. (c) differt hac à servitute tigni immitten-
di l. malum 242. §. inter projectum. 1. de V. S. (d) Cloaca est
locus concavus per quem colluvies quadam fluit, l. 1. §. cloa-
ca. 4. ff. de cloacis. Et continet sub se tubum & fistulam d. l. §.
cloaca 6. (e) l. 7. ff. de servit. & servitus urbani prædij, quia
ad commodum habitationis fit *Wes. parat. ff. de S. V. P. n. 10.*
(f) l. 17. §. cum in domo. 1. ff. si servit. vindic.

XII.

Rusticorum prædiorum servitutes sunt
hæ præcipuè: Iter, Actus, Via: Aquæ ductus,
Aquæ haustus, pecoris ad aquam appulsus,
jus pascendi, calcis coquendæ, harenæ fo-
diendæ. (a)

(a) l. 1. de S. R. P. §. 2. Instit. eod. quarum quadam pos-
sunt etiam esse prædij urbani l. servitutes. 20. §. 1. de S. V. P.
l. 7. l. 14. ff. commun. prædio: Quadam etiam possunt esse ser-
vitutes personales, si videlicet expressim ad usum persona con-
stituuntur l. 22. l. 12. de usu & habit. l. cum servus 39. §. si quis
alicui legaverit 4. ff. de legat. 1. & hæc in heredem non transmit-
tuntur ad. l. *Wes. parat. ff. de S. R. P. Capol. d. t. de S. V. P. c. 2. n. 13.*

XIII.

Est igitur Iter Jus eundi, ambulandi ho-
minis

minis, non etiam jumentum agendi. Vel vehiculum (a) Actus est jus agendi vel jumentum vel vehiculum. (b) Itaque qui habet iter, actum non habet, sed qui habet actum iter habere dicitur. (c)

(a) l. 1. de S. R. P. Et qui hoc jus habet potest ire vel pedes vel eques, & sella vel lectica vehit. qui sella. 7. de S. R. P. Et non solum dominus hoc jure verum etiam servi ipsius uti l. usu retinetur. 20. ff. Quemadm. servit. amitt. (b) d. l. 1. de S. R. P. in princ. Instit. eod. (c) Hac differentia itineris & actus est; Habet autem iter, actum habens, quo ad commoditatem & per consequentiam, non vero quo ad ipsam servitutem: Nam iter & actus sunt diversa servitutis species, qua uni subjecto simul attribui non possunt Capol. d. 1. de S. R. P. Wes. Instit. eod. argumento. l. 2. ff. de Rivis.

XIV.

Via (a) est Jus vehundi (b) & agendi & ambulandi & tam actum quam iter in se continet. (c) Hujus latitudo in jure definita est, ut in porrecto, octo, in anfractu .i. ubi flexum est iter propter vehiculorum vertendorum facilitatem 16 pedes contineat (d) de itinere & actu vero nihil in jure decisum habemus. (e)

(a) Via vel est publica vulgò, Die Herren strasse/die Gemeine offene strasse: Item des Heiligen Reichs strasse oder die gemeine Landstrasse / qua & via pratoria seu consularis dicta, qua vulgò iter ordinarium proficiscitur l. 2. §. viarum. 22. ff.

B 2

Ne

*Ne quid in loco publico. Vel est privata; hæc aut inter publica
habetur: ut vicinalis qua in vicos itur, & Agraria per quam
exitur de consulari via ad agros; Aut privatorum juri cedit,
qua scilicet cessantibus agrarijs nos ducit per fundum alte-
rius in fundum nostrum, & hæc species servitutis de qua hic lo-
quimur. d. l. 2. §. 22. Dn. Cædd. in l. paries. 157. de V. S. n. 7.
(b) Ita legit Wes. Inst. de S. V. & R. P. & Gothof. in l. 1. de S.
R. P. (c) d. l. 1. de S. R. P. in princ. Instit. eod. & hæc lectio in
se probat esse legendum vehundi (d) l. via 8. de S. R. P. potest
autem via latior vel angustior inter contrahentes constitui mo-
do vehiculum vehi possit l. via constitui 23. in princ. ff. eod. (e) l.
certo generi 12. ff. eod. potest etiam certa latitudo definiri d. l.*

XV.

*Aquæ ductus est jus aquam ducendi (a)
perfundum alienum, (b) quod fistulis sive ca-
nalibus, rivo, aut alijs modis fieri potest. (c)*

*(a) Quatenus ea opus est fundo dominantis l. ergo scien-
dum. §. in fin. de S. R. P. (b) ex publico enim sine servitute
ducere licet, l. Impp. 17. de S. R. P. nisi Imperat. vel Senatus
aut publicus usus vadatur. l. si autem 10. §. 2. ff. de aqua pluv.
arcend. l. 2. de fluminib. Hoc autem necessarium est, quando
quis per alienum fundum aquam privatam ducere vult, ut non
solum licentia eorum, quorum in fundo aqua nascitur, sed reli-
quorum, quibus usus hujus aqua debetur, hoc faciat l. in conce-
dendo 8. ff. de aqua pluv. arcend. Quia quod omnes tangit ab
omnibus debet comprobari. l. ult. C. de Auth. praestand. in fin.
Wes. parat. ff. de S. R. P. n. 2. (c) l. si fistula 18. de S. V. P.
l. Resectionis gratia 11. §. fin. ff. commun. prad. Borch. Instit.
de S. V. & R. P. Rivus definitur per Ulpian. in l. 1. §. Rivus
ff. de Rivis, locus per longitudinem depressus, quo aqua de-
currit.*

Aquæ:

XVI.

Aquæhaustus est. jus hauriendi aquam e fonte, puteo vel alia aliqua vicini, ad necessarios agri usus (a) & qui habet aquæhaustum, iter quoq; habere videtur ad hauriendum. (b) Et potest hæc servitus quemadmodum & aquæductus si sufficiens est, pluribus per eundem locum concedi. (c)

(a) l. 1. de S. R. P. l. unica §. fin. ff. de fonte Capol. d. e. de S. R. P. n. 1. cap. 7. Et est hæc servitus realis, quando acquiritur per habentem vicinum prædium pro utilitate prædij sui Capol. d. t.
(b) l. item sic possunt. 3. §. Qui habet haustum. 3. de S. R. P.
(c) l. 2. §. fin. de S. R. P. ut vel diversis diebus & horis, vel iisdem ducatur vel hauriatur, nec hoc casu servitus servitutis constituitur, contra l. 1. de usu & usufr. legat. & hæc non à prima servitute dependet, sed à fundo, si enim posterior prioris noceret, non valeret servitus. l. aquam. 4. C. de servit. & aqua l. per quem locum 14. de S. R. P. Borch. Inst. eod. differt servitus hæc Aquæhaustus ab aquæductu. l. 1. §. Hoc interdictum. 1. ff. de fonte.

XVII.

Pecoris ad aquam appulsus est jus appellendi pecoris agri nostri, per prædium vicinum ad aquam. (a) Servitus pascendi est jus pecoris pascendi infundo alieno agri mei causa. (b)

(a) l. 1. §. in Rusticis de S. R. P. & est servitus realis, si pecoribus ad stercorandum agrum constitutis, constituatur Capol. de S. R. P. c. 8. n. 2. Hinc queritur qualiter quis hæc servitute

uti debet, & dicimus quod ultra constitutum numerum, non
 debeat ad aquam appellere, quaritur ulterius si contra factum,
 an in univrsum possit prohiberi adaquare: Nos cum Marcello
 negamus licet Trebatius aliter senserit. l. 1. §. Trebatius ff. de
 aqua quotidi. & astiv. (b) Pecudum numero comprehendun-
 tur omnes quadrupedes qua gregatim pascuntur §. 1. Instit. de
 lege Aquil. l. legatis 65. §. pecoribus 4. de legat. 3. Itaq; hanc
 non habens servitutem, pecus suam in alieno non potest pascere
 fundo. Ex constitutione tamen Friderici licet viatori equum
 suum pabulare in alieno agro, quanto propinquius poterit, se-
 cundum viam, ad refectioem & reparationem, sine aliqua va-
 statione 2. Feud. tit. de pace tenenda §. final. Hoc jure constituto
 simpliciter, non expressa specie, cum omni pecore cujusq; generis
 ibi pascere potest nisi ex circumstantijs diversum appareat ar-
 gumentol. in tradendis. 7. in princ. ff. commun. pradior. Qui
 autem alio quam constituto utitur, per hoc jus suum amittit,
 argt. l. si communem 10. §. 1. l. si quis alia. 18. in princ. ff. quem-
 ad. servit, amitt. Capol. d. t. de S. R. P. c. 9. n. 17. 18. & c.

XVIII.

Reliquæ duæ servitutes videlicet jus a-
 renæ fodiendæ & calcis coquendæ seipsas
 explicant, propterea definitione & proli-
 xiori explicatione non indigent. (a)

(a) Hoc tamen obiter addimus, quoniam calx & arena
 sunt de necessitate ad domum in agro illius cui servitus hac de-
 betur extruendam, propter recipiendos fructus, Ideo hæ sunt
 servitutes rusticæ Capol. d. t. de S. R. P. c. 10. Et jus calcis co-
 quenda pro indigentia fundi dominantis constitui debet. l. er-
 go. 5. vers. sed & ipse dicit de S. R. P. & est ratio quia servitu-
 tes reales sunt secundum indigentiam pradij dominantis. d. l.

Causa

XIX.

Causa efficiens, servitutum harum est jus gentium. (a) Instrumentales causæ sunt personæ, quæ servitutem imponere aut acquirere possunt, ut verus & directus dominus plenum dominium habens. (b)

(a) *S. fin. Inst. de usu. necessitate enim urgente introducta est hac servitus l. 4. §. 5. ff. de just. & jur. persæpe enim eveniret ut dominus ad suum fundum pervenire non posset nisi alterius sibi serviente, unde si quis fundum ita confinibus circumdatum habeat, ut ad eum colendi illius causa pervenire non possit, judici incumbit confinem cogere, ut legitimo precio accepto aditum confini ad fundi commodum concedat argt. l. testatrix. 20. in princ. ff. si servit. vindic. l. ult. in princ. de S. V. P. l. servum 44. §. fin. de legat. 1. (b) l. 1. l. 8. ff. commun. prad. §. 3. Inst. de S. V. & R. P. Ideo nec tutores vel curatores fundis pupillorum vel minorum servitutem imponere possunt. l. sed si. 3. §. 5. vers. simili modo ff. de rebus eor. qui sub tut. vel cur. Nec maritus fundis dotalibus. l. 5. ff. de fund. dotal. secernimus tamen ab his vasallos & emphyteutas, qui etsi non sint veri, sed utiles tantum domini, tamen non acquirere modo prædijs suis sed & imponere iisdem possunt, ita tamen ut resolutio jure dantis, resolvatur & jus accipientis a Feud. 8. §. Rei. Capol. d. t. de S. V. P. c. 14. & Dd. secum in usufructuario l. 44. l. 61. ff. de usufr.*

XX.

Materia in qua seu subiectum recipiens, in quo servitutes tanquam in materia habili constituentur est prædium tam rusticum quam

quā alienūm serviens (a) Materia circa
quam seu objectum est prædium domi-
nans (b)

(a) *Rebus enim nostris non servitutis sed domini vel possessionis jure utimur l. 26. de S. V. P. l. 33. de S. R. P. l. 5. s. usufru. petat. Hinc illa quaestio, An servitutes ha absq̄ prædijs constituti possint? Negamus per l. 1. ff. commu. prad. §. Ideo autem 3. Instit. de S. V. & R. P. Capol. d. t. de S. V. P. c. 11. Cum enim prædia sint subjectum, servitutes adjunctum, adjunctum sine subjecto subsistere non possit utiq̄ sine prædijs servitus constitui non poterit l. nihil dolo 128. §. cum principalis. juncta l. 178. ff. de R. J. Matth. Steph. 2. Cent. Quast. Instit. 22. (b) Huic enim debetur ista servitus: & hac est propria servitutum natura, ut unum prædium serviat & patiat, cujus libertas minuitur, & alterum dominetur suumq̄ inde quarat commodum & utilitatem l. quotiens 15. ff. de servit.*

XXI.

Forma quibus servitutes reales constituuntur sunt requisita seu modi, & constituuntur inter vivos contractibus (a) testamentis seu ultimis voluntatibus. (b) Consuetudine, (c) adjudicatione (d) vel deniq; longi temporis præscriptione. (e)

(a) §. fin. Instit. de S. V. & R. P. (b) l. 16. ff. commun. pradior. (c) argt. l. 1. §. fin. ff. de aqua plu. arcend. (d) l. item labeo. 22. §. sed etiam ff. famil. ercisc. veluti si judex in judicio divisorio uni fundum ita adjudicet ut alteri serviat. (e) Et si olim propter legem Scribonianam latam (qua usucapionem

rerum

rerum sustulerat) res incorporales usucapi non potuerunt, quia non possidentur l. sequitur. 4. §. si viam 27. de usarp. & usucap. Justinianus tamen eas instar rerum immobilium prescribi & usucapi posse constituit. l. fin. in fin. C. de prescript. long. temp. X. vel XX. anno. l. 2. in princ. C. de servit. & aqua. Wes. parat. ff. de servit. n. 5. quæ sint necessaria ad prescriptionem. vid. Capol. d. t. de S. V. P. c. 19. n. 4. & c.

XXII.

Causa finalis non consistit illa in faciendo sed in patiendo & non faciendo principaliter. (a) Unde ipsi prædio dominantis utilitas, prædio vero servienti libertatis diminutio comparatur, hæc in definitione supra recitavimus.

(a) Nam aliquando in consequentiam quid quis facere cogitur. idq. vel natura servitutis; vel pacto contrahentium postulante. l. et si forte. 6. §. etiam. 2. l. sicut 8. §. distant ff. de servit. vindic. Wes. parat. ff. de servit. n. 9.

XXIII.

Effectus. 1. est, servitutes reales tam activæ, quam passivæ transeunt ad heredes.

(a) 2. Actio confessoria, quâ quis servitutum sibi vel suo prædio, vel quasi deberi asserit.

(b) 3. Negatoria, qua negamus libertatem & rem nostram liberam declarari petimus. (c) -

(a) Id est concedentis & concessionarij argt. l. pecoris. ff. de

C

de S. R. P. & sic transit etiam ad singularem successorem ut est
textus in l. si aqueductus 47. ff. de contrah. empt. (b) datur
hac non solum adversus dominum pradij l. sed et si. 6. §. Hac
autem ff. si servit. vindic. sed generaliter contra quemcunq;
impedientem l. si quis diuturno. 10. §. fin. ff. eod. Et hac vel
est directal. 2. §. Hac autem. 2. ff. eod. vel utilis l. ei 16. ff.
de servit. (c) §. Æq; Instit. de actio. l. 2. in princ. ff. si servit.
vindic.

XXIV:

Restant tandem pugnancia, quæ quo-
modo hæ servitutes tam Rusticæ quam ur-
banæ amittantur, indicant, idq; fit maximè
confusione (a) & remissione. (b)

(a) Id est cum idem utriusq; pradij & servientis & domi-
nantis, dominus in solidum esse caperit l. 1. ff. Quemadm. ser-
vit. amitt. si vero pro parte tantum fiat dominus, pro parte
etiam totam retinebit servitutem. l. ut pomum 8. §. 1. ff. de
servit. (b) Ut si is cui servitus debetur, hanc domino pradij
servientis remittat argt. l. ad certam. 6. l. 14. §. 1. ff. de servit.
& remissio hac non solum fit verbis, sed etiam si re aliqua vel
facto id ipsum se velle dominus declaret. l. si stillicidij. 8. ff.
Quemadm. servit. amittatur.

Corollaria.

1. An sagarum per aquam frigidam probatio sit
satis firma. N.

2. An Macedonianum Senatusconsultum pro-
cedat in studiosis. D.

3. An

3. *An dictum demosthenis probandum: probos
& innocentes defensoribus non indigere. N.*



*Humanissimo doctissimoq;
Viro*

DN. JOHANNI SCHRÖDERO
amico ac populari dilectissimo,
gratulantur populares amici.

PAlladias, minima est non laus, sudasse per artes,
Major at hæc laus est, doctâ cum gente coisse
Sicelidum in castris, animo, nervoq; virili,
Milite & (Aonio) turmas vicisse minantes:
SCHRÖDERUM quis nunc ferret non laude celebri?
Pulpita qui scandens sacrarum docta sororum
Cum **MUSIS, THEMIDE,** & **PHOEBO** jam prælia miscet.
Quid superest? nisi te Victorem cuncta saluent:
Salve acer miles, lætâ cape gaudia mente,
Victor, tu dignus, maneat quem pulchra brabea,
Accipe de lauro nitidam victrice corollam.
Non te pœniteat, premar etsi pondus, onusq;
En **ONUS** hoc rursum tibi erit **GRAVE FRUCTUS HONORIS.**

*Job. Feustkingus
Herv. Westph.*


Factura



F Actum bene! ô factum optime!
SCHRODERE limatissimé
Agalma cordis intimum
Caputq; dilectissimum
Factum bene! (inquam) quod placeat
De SERVITUTIBUS licet
REALIBUS disquire
Cum laude magna publice
Abstrusa quam, quam circulis
Opinionum plurimis
Inclusa disputatio
Sit, hæcce scit Juris tyro;
Quantamq; præbeat obviam
Hæc commodorum copiam
Scitur rescitur ex viris
Scholâ & forô clarissimis
Si pluries calcaveris
Viam hanc, adorea gravis
Surget tibi, hinc clarissimus
Olim clues coram omnibus.

Johannes Probst Herv. Westph.





the scale towards document

res incorporales usucapi non potuerunt, quia
sequitur. 4. §. si viam 27. de usurp. & usu-
men eas instar rerum immobilium prescribi
stituit. l. fin. in fin. C. de prescript. long.
anno. l. 2. in princ. C. de servit. & aqua
servit. n. 5. qua sint necessaria ad prescriptio-
t. de S. V. P. c. 19. n. 4. & c.

XXII.

alis non consistit illa in facien-
endo & non faciendo princi-
nde ipsi prædio dominanti u-
o vero servienti libertatis di-
paratur, hæc in definitione
mus.

ando in consequentiam quid quis facere
ura servitutis; vel pacto contrahentium,
te. 6. §. etiam. 2. l. sicut 8. §. distant ff. ff.
parat. ff. de servit. n. 9.

XXIII.

r. est, servitutes reales tam
passivæ transeunt ad heredes.
fessoria, quâ quis servitutum
edio, vel quasi deberi asserit.
a, qua negamus libertatem
am liberam declarari peti-

entis & concessionarij argt. l. pecoris. ff.
de